



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Specvlvm Privilegiorum Regularivm In Commvni

Pedro <de los Angeles>

Coloniæ Agrippinæ, 1681

Punctum III. De privilegiis Regularium circa receptionem, & administrationem aliorum Sacramentorum, & Missæ celebrationem remissivè.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61715)

PUNCTUM III.

De privilegijs Regularium circa receptionem, & administrationem aliorum Sacramentorum, & Missæ celebrationem remissivè.

Acta alibi recensentur.

140. **H**ic proprius locus erat agendi de iis quæ in titulo hujus puncti proponuntur, nam postquam à nobis actum est de Regulariù privilegijs circa administratione Sacramenti Pœnitentiæ, meritò de his agendum esset; Sed quia de his actum est à nobis in diversis locis, in præsentiarum ea prætermittimus: de singulis enim Sacramentis, & de eorum ministris agentes, diximus qualiter ea administrare possint Regulares, & in quibus casibus; & idem argumentum pertractavimus alijs locis per totum istum Cursum dispersis. De Missæ celebratione, quo loco, tempore, &c. possint ex privilegijs Regulares illi intendere, *suprà tract. 15. capite septimo, punct. 4. per totum* egimus: ubi specialiter n. 98. diximus, qualiter in domibus secularium possint altare erigere, & ibi Missas celebrare, & qualiter hoc non sit contra decretum Concilij Tridentini *sess. 22. de observandis, & evitandis in celebratione Missæ.* Porro de prohibitione facta Regularibus, quoad multiplex stipendium non recipiendum pro eadem Missa, latè egimus *dicto Capite punct. 5. per totum.* Quare hæc modò prætermittimus,

PUNCTUM IV.

De privilegijs, & obligationibus Concionatorum Regularium.

141. **P**rædicandi facultas Regularibus non ab Episcopis Diœcesanis, sed à Pontifice conceditur: Et licet post Tridentinum licentia obtenta ab Ordinario requiratur pro concionibus habendis in Ecclesijs non suis, & in proprijs Ecclesijs petenda sit benedictio Ordinarij; nihilominus tamen id non requiritur tanquam actus dantis jurisdictionem, aut facultatem, sed ut conditio requisita, ut potestas à Pontifice accepta, debite executioni mandetur. Hanc ergo Sedes Apostolica imperita est per diversa privilegia Regularibus communicata, ut est illud Clementis IV. pro Minoribus, Sixti IV. pro Carmelitis, & Pauli III. pro PP. Societatis, in quibus conceditur, ut in quibusvis locis, Ecclesijs, aut plateis communibus, & vijs publicis, & ubicumque locorum, verbum Dei Clero, & populo prædicare possint. Ad hoc autem non requiritur, quod sint in Ordinibus sacris constituti: sufficit enim si Clerici sint, prima tonsura initiati, ut constat ex Bulla Gregorij XIII. quæ incipit: *Vigore privilegij*, pro Societate Jesu expedita, illis verbis: *Præsentium Autoritate declaramus, ac etiam decerni-*

Nonrequiritur sacer ordo in prædicantibus ad concionandum.